

Ad 3 part. (inducere obligationem). a) Intellectus necessitatem nexus, si qua est, ostendit, vel si qua nondum est, possibilem vel inducendam agnoscit; sed solius voluntas est eam ubi nondum est eligere et inducere efficienter; — b) inducere effective obligationem est jurisdictionis actus, dominii exercitium; a. dominium intellectus agnoscit quidem, sed sola voluntas exerceat; e.

Prob. 3^a pars (*specifice propria, in voluntate*). Omnia quae sunt intellectui propria (cfr. 1 part.), etiam in aliis normis actuum humanorum inveniuntur, quae non obligant; et ea sola quae voluntati sunt propria, nonnisi in norma obligante, i. e. in lege, inveniuntur; e. illa omnia sunt generica, communia legi, consilio, hortationi, etc; ista vero sunt propria specifica legis.

ARTICULUS 2.

De lege aeterna.

Propositio 32.

Necessario existit in Deo voluntas efficax, seu lex aeterna, quae ordinem moralem a rationali creatura observari jubet, turbari vetat.

Notiones. 1) Lex ratione principii sui dividitur:

divina — — — quae immediate a Deo fertur.

{ necessaria — — seu aeterna, quam Deus non potuit non ferre in hypothesi quod ea entia condere voluerit pro quibus talis lex fertur.

{ contingens — — quam in hac etiam hypothesi Deus potuit imponere vel non imponere.

humana, — — — quae immediate ab homine fertur.

{ ecclesiastica — ab auctoritate religiosa.

{ domestica — ab auctoritate domestica: paterna, maritali, herili.

civilis — — ab auctoritate civili.

2) *Voluntas efficax*: quae per se sufficit ad suum effectum producendum, i. e. actus voluntatis ille praeter quem a parte voluntatis nihil aliud ad effectum requiritur. Poterit quidem a parte adjunctorum, instrumentorum, aliarum concusarum, aliud requiri, sed non a parte voluntatis. — At illa, generatim vera, simpliciter de voluntate divina dici nequeunt: non enim ea potest ab aliorum concursu dependere, nisi in quantum ipsa velit libere conditions illas admittere.

3) *Ordo moralis*: perpetua accommodatio actionum moralium creaturae rationalis cuiusvis, ad earum normam naturalem, seu ad ordinem rationis.

Stat. quaest. 1) Superius explicatum jam est, quid sit actus humanus, etc. quid ejus moralitas, quod moralitatis primum fundamentum, quae ejus norma suprema. Nunc quaeritur quae sit hujus normae supremae vis obligatoria.

2) Respondemus dupli parti: a) Deum necessario velle efficaciter ut rationalis omnis creatura ordinem moralem servet, neque unquam turbet; — b) hanc Dei voluntatem esse vere et proprie legem aeternam.

Prob. 1^a pars (*est voluntas efficax*). Existit creator Deus: infinite sapiens, sanctus et providus; a. sapiens, sanctus, providus necessario vult efficaciter ut ordo moralis ab omni rationali creatura servetur, non turbetur; e.

Ad min. 1) *Sapiens* ordinem cognoscit, ejusque dignitatem et necessitatem, et apta media ad eum obtinendum; — 2) *sanctus* efficaciter amat bonum et rectum ordinem, detestatur pravum et inordinatum; — 3) *providus* practice et efficaciter quilibet creaturas ad ipsarum finem proprium et ultimum promovet modo earum naturae consentaneo; a. hic pro rationalibus est ordinis moralis observatio; e.

Prob. 2^a pars (*est lex aeterna*). Illa voluntas efficax Dei est norma moralis, obligans, universalis, stabilis, ordinata ad bonum commune, efficaciter promulgata, in Deo necessaria; a. talis norma est vere et proprie lex aeterna; e.

Ad maj. 1 part. (est norma moralis). Ordinem statuit actionibus humanis servandum.

Ad 2 part. (est obligans). Ut haec voluntas Dei vere efficax sit, debet creaturae rationali veram necessitatem imponere; a. haec necessitas nequit esse ab extrinseco (nam periret voluntarium), nec ab intrinseco (nam periret liberum); e. est objectiva; a. objectiva nonnisi una est, quae oritur ex nexu necessario medii et finis, scilicet observantiae ordinis rationis et adeptio beatitudinis; e.

Ad 3 part. (est universalis). Omnes creaturas rationales, propter eamdem rationem omnibus applicabilem, necessario ligat.

Ad 4 part. (stabilis). Est necessaria Dei voluntas immutabilis.

Ad 5 part. (ordinata ad bonum commune). Finem ultimum totius creaturae vult Deus: gloriam extrinsecam Dei et beatitudinem omnium rationalium subjectivam.

Ad 6 part. (efficaciter promulgata). Cfr. prop. sequent.

Ad 7 part. (necessaria in Deo). Cfr. supra, 1 part.

Objic. Lex aeterna creaturis nondum creatis promulgari ab aeterno non potuit; e. non est vera lex. — R. d. ant. non potuit promulgari in actu secundo, terminative, c; in actu primo, principiative, et quidem immutabiliter, n. — d. cons. non lex a parte Dei, n; a parte hominis nondum accipientis, nondum subditi, c. (hoc est hujus legis proprium, quod ab aeterno in Deo existit decretum necessarium et immutabile promulgandi in tempore voluntatem suam aeternam; humanae vero leges donec promulgantur actu, mutari possunt, promulgatione ab extrinseco impedita, vel voluntate legislatoris ab intrinseco mutata).

ARTICULUS 3.

De lege naturali.

Propositio 33.

Existit in homine lex naturalis, tamquam legis aeternae in ipsa hominis rationali natura promulgatio essentialis.

Notiones. 1) *Lex naturalis* est legis aeternae participatio in rationali creatura, promulgatio externa ipsius legis aeternae.

2) *Promulgatio essentialis*, i. e. essentialiter fieri non potest quin natura hominis sit signum seu instrumentum sufficiens ad proponendam legem aeternam homini.

3) Dicimus ergo : a) aliquam legis aeternae manifestationem factam esse homini, b) eamque per modum legis naturalis, i. e. in natura fundatae, et naturali rationis lumine cognitae.

Prob. 1º Ex ipsa consideratione naturae humanae, et existentiae divinae, homo naturaliter cognoscit 1) materiam legis aeternae, i. e. ea quae consonant vel adversantur ordini rationis, 2) formam legis aeternae, i. e. efficaciam voluntatis Dei obligantis; — a. ita habetur legis aeternae naturalis promulgatio, seu lex naturalis; e.

Ad maj. 1 part. (materiam). Homo videt relationes suas essentiales ad alia entia omnia, et ordinem ex his relationibus exsurgentem, et quid in suis actionibus huic ordini consonet, quid ad finem ultimum sit ordinatum vel ordinabile.

Ad 2 part. (formam). Homo videt naturae suae esse Deum auctorem et dominum, et ad Dei essentiam pertinere ut ab aeterno efficacem voluntatem ordinis servandi a creaturis habeat, eamque per modum legis aeternae (cfr. supra).

Prob. 2º Teste experientia sensus intimi et communis hominum, 1) natura rationalis ejusque variae relationes essentiales sunt vera norma operationum humanarum, 2) et est haec norma non mere theoretica, sed practica et moraliter obligans, 3) et quidem obligatione ab aliqua potestate superiore imposta; — a. haec sunt elementa legis naturalis a lege aeterna participatae; e.

Ad maj. 1 part. cfr. supra, prop. 14 et 15. — *ad 2 et 3 part.* cfr. theolog. natur. prop. 13.

Coroll. 1º Ergo eadem una lex vocatur, *aeterna* in quantum praecise attenditur ut in legislatore existens, vocatur *naturalis* prout consideratur ut in natura rationali promulgata. A parte rei haec est aeterna Dei voluntas, ordinem moralem observari jubens, turbari vetans, in rationali natura promulgata.

Coroll. 2º Praecepta legis naturalis alia sunt negativa, circa actiones intrinsece malas, quas nunquam liceat facere; alia sunt affirmativa circa

actiones intrinsece bonas, quas pro temporibus et datis adjunctis omittere sit in honestum. Hinc dicitur lex negativa *obligans semper et pro semper*, lex affirmativa *obligans semper sed non pro semper*.

Objic. 1º Lex naturalis si existit, existit vi ipsius naturae; a. quod existit vi ipsius naturae, necessitatem naturalem imponit, et libertatem tollit; e. lex naturalis in natura humana rationali libera existere nequit. — R. c. maj. — d. min. 1 part. necessitatem naturae proportionatam, c; secus, n. — d. 2 part. libertatem in naturis non rationalibus, c; in rationalibus, sd. moralem, c; physicam, n. — d. par. cons.

Objic. 2º Quod est naturale, a natura separari nequit; a. lex quae naturalis dicitur separatur a natura, v. c. in infantibus; e. — R. c. maj. — d. min. ipsa lex objective, seu ipsa legis aeternae promulgatio, n; ejus cognitio in facultate nondum evoluta, c.

Objic. 3º Hominum sensus intimus testatur aliquam obligationem, sed improppie dictam, non vere necessitantem; e. non probatur ex conscientia vera lex naturalis. — R. d. ant. conceptu aliquo confuso, c; distincto, n. (quoties melius inquirunt in naturale dictamen internum, veniunt ad distinctum verae obligationis proprie dictae conceptum).

Objic. 4º Conscientia testatur remorsus etiam ob omissos actus non obligatorios sed altioris virtutis; e. — R. d. ant. in aliquibus hominibus, sive delicatiorebus, sive ex falso judicio vincibili, sive ex motione supernaturali Dei ad altiora vocantis, c; secus, et in omnibus communiter, n.

Objic. 5º Nulla lex a modo promulgationis suae denominatur; e. neque ista lex est naturalis dicenda. — R. d. ant. quoties promulgationis modus est mutabilis et a legislatoris libera electione pendet, c; ubi modus est per essentiam ipsam legis determinatus et immutabilis, n.

Propositio 34.

Autonomia rationis Kantiana nequit admitti.

Stat. quaest. 1) *Autonomia rationis seu moralis independens variis passim modis defenditur*; diciturque :

2) *Independentia ab omni vinculo moralitatis quocumque* : vita degenda sine ulla moralitatis actuum cura, pro lubitu praesentis appetitus. Haec non est philosophicum systema, sed beluina insania, hic non refutanda.

3) *Independentia ab omni vinculo supernaturali* : per solum rationis naturale lumen actiones humanas ordinans; atque ita admittitur quidem existentia Dei, animaeque immortalitas; sed hic iterum distinctione opus est :

a) *Alii enim revelationem supernaturalem non rejiciunt, sed eam cum suis dogmatibus et praceptis admittunt tanquam veram et completam vivendi normam.* Attamen theoretico studio etiam ipsam naturalem legem moralem et rationis valorem cognoscere quaerentes, ab auxilio supernaturali praescindunt, solo ratiocinio utuntur, curantes solum ne revelationi contraria pro-

certis admittant. Atque haec est vera philosophia, et nostrum studium,... certe nunc minime refutandum.

b) *Sed alii*, rationalistae, naturalistae, omnem revelationem supernaturalem expresse rejiciunt tanquam inutilem, falsam, impossibilem; sola ratione naturali sistema morale astruunt tanquam veram et completam vivendi normam, nihil curantes utrum ea sit, necne, revelationi conformis. Horum non hic nobis est refutanda independentia, sed apud theologos revelationem stabilientes.

4) *Independentia ab omni vinculo extra ipsam rationem*: admittit nobiscum legem naturalem objective et materialiter spectatam, ejus existentiam, et vim obligandi; sed dissentit de ejus ratione formalis, seu de principio unde ejus obligatio oriatur. Vult ut omni respectu ad Dei voluntatem et ad vitam futuram remoto, tota obligatio sit ex solo rationis dictamine bonum imperantis per se et ultimatim propter se. Hanc nos in propositione rejicimus independentiam.

5) Admittebatur ista independentia jam apud *antiquos Stoicos*, docentes virtutem esse propter seipsum colendam, eamque in seipsa esse summum bonum; sed minus explicite illi obligationem dicebant. — Saeculo XVI proponunt *Novatores* officium esse propter seipsum exsequendum, ejus fundatum non esse inquirendum. — *Kant* majore apparatu scientifico statuit suum *imperativum categoricum* rationis, i. e. imperium subjectivum a priori rationis, vere tamen obligans: «Sic age ut lex quam tibi praestitus valere possit pro generali norma operandi, idque rationabiliter expetere possis.» — Similia faciunt avide sua *positivistae* et *pantheistae* omnimodi.

Prob. Admitti nequit, ad explicandam legem naturalem formaliter sumptam illa theoria quae: 1^o doctrina manca nititur, 2^o nullam efficaciam habet ad hominem dirigendum in difficilibus, 3^o a ratione scientiae deficit, 4^o imprudentiam summam involvit; — a. talis est autonomia rationis Kantiana; e.

Prob. min. 1 part. (doctrina manca). 1) Officia hominis praecipua et gravissima, scilicet erga Deum, omittit.

2) Beatitudinis et finis ultimi notionem nullam vel falsam exhibet; nam: a) immortalitatem negligens, beatitudinem in bonis praesentis vitae reponere debet, — b) Deum negligens, nequit ostendere honestatem esse bonum summum hujus vitae, — c) hominem supponens sibi ipsi finem esse, veram beatitudinem non inveniens, eam debet concludere figmentum mentis inane esse, et naturam humanam invincibiliter tendere ad hoc figmentum, ac proinde essentialiter inordinatam esse.

Prob. min. 2 part. (nullam efficaciam). 1) Obligatio est necessitas, non subjective excogitata, sed objectiva, a superiore (Deo) imposta, absoluta; — lex est norma obligans; — officium est id ad quod praestandum lege obligatur subditus; — a. negato Deo vel saltem Dei interventu, nulla est necessitas objectiva absoluta, nec proinde ulla est vera obligatio, stringens etiam ad magnas molestias subeundas potius quam actus contra legem ponatur; e.

2) Teste experientia, nunquam ratio humana sibi soli relicta sufficit ad imperando heroicis actus abnegationis, in difficultimis etiam superandis, ad legem naturalem servandam (sufficit quidem ad eos actus pro aliis motivis: gloria, amore patriae vel familiae, etc, sed non pro sola observantia legis, ut legis).

Prob. 3 part. (a scientia deficit). Inducit 1) hominis rationem absolutam, et imperantem propter se, et simul non absolutam sed relativam, limitatam, mutabilem, ac non imperantem sed subditam, obligatam; — 2) rationem absolute et de se imperantem, et volentem bonum, et simul non volentem, imo rebellem; — 3) rationis necessitatem absolutam, cuius tamen nulla causa vel ratio sufficiens assignari possit vel debeat; — a. illa omnia sunt absurdia; e.

Prob. 4 part. (imprudentiam). Omnem revelationem supernaturalem, imo etiam omnem naturalem Dei providentiam, rejicit ut falsam, impossibilem, inutilem; et hoc quidem sine ullo examine vel studio; a. talia in re tanti momenti, gratuito, sine examine rationum oppositarum, rejicere, summae imprudentiae est; e.

Coroll. 1^m Ergo falso dicunt recentes multi, honestatem actionis ipsam per se constituere obligationem eam faciendi; nam 1) sequeretur absurdum, nempe omnem actionem honestam eo ipso esse obligatoriam; quod aliqui rationalistae adserunt quidem, at nec ipsi serio admittunt, nec ulli unquam persuadebunt; — 2) non impletur conceptus obligationis, quum honestas actionis libere possit negligi, nec appareat ejus connexio necessaria cum beatitudine abstracte sumpta, quanquid haec non ostenditur esse sita in possessione alicujus boni determinati per solam honestatem actionum acquirendi, et perfecte satiantis appetitum omnem.

Coroll. 2^m Ergo falso etiam ali dicunt, principium sufficiens obligationis honeste vivendi esse in natura rationali, quae honestatem vitae prorsus exigit, in honestatem necessario abhorret; — nam obligatio illa non esset absoluta, nec universalis (quia natura absolute et super omnia exigit nonnisi bonum suum perfectum et ultimum, quod non honestas est, sed beatitudo).

Coroll. 3^m Ergo falso alii obligationem eruere volunt ex exigentia ordinis rationis; nam si praescinditur a vita futura et voluntate Dei, nulla appetit necessitas servandi ipsum ordinem rationis; neque deinde ullus modus manet discernendi quis ordo rationis servandus vel non servandus, v. c. ordo symmetricus, vel variarum artium leges.

Objic. 1^o Si fons obligationis a beatitudine desumitur, in doctrinam utilitariorum recidimus. — R. n. (utilitarii respiciunt solam praesentis vitae utilitatem, et honestatem ipsam non ex principio altiore, ordine rationis, etc, deducunt, sed ex utilitate praesente).

Objic. 2^o Nisi obligatio est ex autonomia rationis, amor virtutis servilis vel mercenarius fit. — R. a) n. (amor virtutis potest oriri non ex sola obliga-

tione, sed ex motivo nobiliore : amore Dei, vel ipsius honestatis). — R. b) d. improprie servilis, improprie mercenarius, c; proprie, n.

Objic. 3º Homo perfecte obligatur ad ordinem moralem servandum, ante quodvis divinum praeceptum; nam :

1) obligatio nititur principio : «Deo praecipienti parendum est; » a. hoc principium desumitur ex ordine essentiali rerum, quatenus Deus est summum ens; e.

2) antequam Deus praecipiat, obligandi jus habet; a. huic juri respondet in homine officium parendi, sive obligatio; e.

3) qui ante divinum praeceptum non obligatur, poterit obedientiam recusare quando imponetur praeceptum.

R. n. ass. — ad prob. 1) n. maj. (nititur connexione inter actum praeceptum et finem ultimum). — ad prob. 2) c. maj. — d. min. respondet obligatio quae presupponitur exercitio illius juris, n; quae oritur ex ipso illo exercitio, eoque est natura posterior, c. — ad prob. 3) n. (oritur obligatio ex dato praecepto).

Propositio 35.

Legi naturali sua est apposita sanctio, etiam in praesenti vita, sed haec imperfecta.

Notiones. 1) *Sanctio* sunt bona vel mala physica pro legis observatione vel violatione praestituta.

2) *Finis sanctionis* est : a) providere ordini morali servando, b) ordinem completere vel reparare, c) emendare delinquentem. — Duo priores fines sunt primarii et sanctioni essentiales; tertius est secundarius et accidentalis (cfr. prop. 22 et 25).

3) Legis sanctio est vel *perfecta* seu *sufficiens*, i. e. quae per se sufficit ad efficaciter impellendum hominem, ut legem quibuscumque in adjunctis observet; — vel *imperfecta* seu *insufficiens*, i. e. quae ad servandam legem impellit quidem, at non per se sufficit ut in difficilioribus adjunctis procuret legis custodiam. — Ut sanctio sit vere perfecta, requiritur praemium vel poena quae objective praeponderent malis subeundis vel bonis negligendis ad legem in gravissimis adjunctis servandam.

Prob. 1ª pars (*apposita est sanctio*). Deus essentialiter est legislator sanctus, sapiens, justus; a. haec cum humanae naturae invincibili felicitatis desiderio, virtutis difficultatibus, libertate, conciliari nequeunt nisi legi naturali sua sit sanctio; e.

Ad maj. Ut *sanctus* debet efficaciter velle rectitudinem ordinis.

2) Ut *sapiens* debet efficacia media adhibere ut servetur ordo, nec tamen pereat vel impediatur humana libertas.

3) Ut *justus* debet ordinem pro merito vel demerito instaurare efficaciter in integrum.

Ad min. 1) Invincibile desiderium beatitudinis, nisi ad legem naturalem

sanciendam sit datum, explicari nequit; nam fuisse a Deo sapiente, justo, datum sine rationabili fine, sine realisationis spe.

2) Virtutis difficultates tot et tantae sunt ut nisi sanctione adstringatur et erigatur voluntatis debilitas, certo futurum sit legem et ordinem non servari prout Deus sanctus velle debet.

3) Libertas physica hominis talis est ut possit totum ordinem moralem turbare, et quidem irremediabiliter nisi sanctione restaurandus ille sit.

Prob. 2ª pars (*in praesenti vita*). 1º Deus fortiter quidem sed suaviter omnia quae vult attingit et providens disponit; a. et fortitudo et suavitatis exigunt ut etiam in praesenti vita sit aliqua sanctio legis naturalis; e.

Ad maj. Fortiter, nam quae Deus obtinere vult, permettere ut Dominus nequit ut frustrentur. — *Suaviter*, nam quae Deus vult, ita tamen sapienter ordinat ut secundum singularum naturarum leges et aptitudines attingantur.

Ad min. Libertas humana, et passionum vis, et virtutis difficultas tantae et tales sunt ut, nisi sanctione jam satis praesenti et sensibili juvetur homo, ad legem in difficilioribus servandam aut non efficaciter (satis fortiter), aut non libere (satis suaviter) sit perdueendus.

Prob. 2º Teste experientia, multa bona cum virtutis exercitio, multa mala cum vitio, jam in hac vita sunt connexa; e.

Ad antec. 1) Connexa essentialiter : vox conscientiae, pax interna, etc..., vel contra.

2) Connexa naturaliter (ob compositam naturam ex corpore et anima) : saepe virium conservatio, sanitatis integritas, longior vita, etc..., vel contra.

3) Connexa moraliter : aestimatio hominum, fiducia, auctoritas, pax, prosperitas, etc..., vel contra.

Prob. 3ª pars (*sed imperfecta*). In hac vita saepe sanctio non efficaciter urget ad legem in gravissimis servandam, v. c. si pro ordine amittenda sit ipsa vita, vel honor proprius et familiae; vel proportio non sufficiens existat inter mala toleranda et bonum aliquod faciendum.

Objic. 1º Ex hac thesi sequeretur Deum nos impellere ad imperfecte agendum (timore poenarum); e. — R. d. ant. imperfecte, i. e. excluso perfectiore modo, n; i. e. potius imperfecte, minus bene, quam male, c.

Objic. 2º Plurimis exemplis constat gloriam etc. compensare ipsam vitam; e. haec est perfecta sanctio. — R. d. ant. compensare semper et apud omnes homines, n; apud alios, v. c. bellatores..., c. — d. cons. perfecta, sufficiens, relative ad illos, tr; absolute pro omni homine, n.

Objic. 3º Flagitia maxima suam habent voluptatem. — R. d. puram, n; plurimis malis admixtam, c.

Objic. 4º Injustitia saepe valde utilis est. — R. d. utilis ratione sui, et per se, n; per accidens, sd. ita ut plura mala secum ducat, c; secus, n.

Objic. 5º Virtus plurimis calamitatibus est obnoxia. — R. d. obnoxia per se, natura sua, n; per accidens, sd. ita ut simul, si constanter colitur, plura inseparabilia bona afferat, c; secus, n.